Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 455

Quelle:
Copyright:

Operibus ab ejus obitu infarctus. Conſule praevium *Maur. Monitum.*

VII. *fol.* 56. p. 2. *Incipit ejusdem. Dilectiſſimo pape et ei qui* (cum) *ipſo eſt clero et qui in perſorum prouincia habitant* (et) *in fide dei firmati ſunt. Athanaſius in domino gaudere.* Nugae graeci hominis, fortaſſe *Athanaſii*, certe non *Alexandrini*, quarum Αυτογραφον graecum nemo prodidit, Verſionem latinam, et quidem noſtram, *Romae* ad ſe miſſam *Mauriani* T. II. p. 716. vulgarunt cum *Monito* praevio, quod conſule, ſi lubet. Init. Epiſtola: *Sancta et diuinitus inſpirata Scriptura* &c.

VIII. *fol.* 58. p. 2. *Dionyſii Epiſcopi alexandrie ad paulum Samoſathenum incipit feliciter.* Ita: *Dilectiſſimo fratri paulo epiſcopo anthiochie* &c. *Et primum ſcribente te ſcripſimus adtrahentes te* &c. *Pſeudathanaſius* ſuperior hanc *Pſeudodionyſii* Epiſtolam pariter hic e graeco verſam cum ſua ad *Perſas* mittit. Itaque haec illam etiam *l. cit.* p. 717. excipit. Verſio eadem, quae Codicis.

IX. *fol.* 62. p. 2. *Incipit Orthodoxi et Apollinariſtę Dialogus de Chriſto. Sancti Athanaſij feliciter.* In hunc modum: *Orthodoxus dixit. Corpus humanum habuit Chriſtus an non? Apolenares reſpondit. Non.* &c. Edidere *Mauriani* T. II. p. 471. *Dialogos V. de Sancta Trinitate*, quorum IV^tus. noſter praeſens eſt, meliore tamen Verſione ſtipatus. *Athanaſii* non eſſe, neque *Theodoreti*, ſed aut *Maximi*, aut incomperti Autoris, *Monitum* ibi praevium pluribus exequitur. In Codice his verbis abrumpitur: *ſic et ipſius vox eſt vox anime.* Quae reſpondent graecis: Ουτως αυτε φωνη ἡ φωνη της ψυχης, edit. *Maur. cit.* p. 530. ſub finem *n.* 8.

Codicem e Bibliotheca *Budenſi* ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* deveniſſe notum Προγραμμα illius in anteriore theca docet, tranſiviſſe vero per manus *Joh. Alex. Braſſicani*, credibile facit Teſtimonium *Photii* de Sermonibus S. *Athanaſii*, calamo *Braſſicani fol. ult.* adſcriptum, quod ad verbum deſumſiſſe videtur e ſupra memorata edit. *Vicentina* 1482. ubi, et bis quidem, *fol. b.* et *c. 7.* habetur.

CCLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 85 XV. Folior. 42. f. min. nitide exaratus, fronte & initiorum literis auratis, picturatis, veriſimiliter olim, quamvis, quod ſiniſtri ominis eſt, eraſa ſint regia Inſignia, ad Bibliothecam *Corvinianam* a morte *Matthiae* non ſatis cuſtoditam pertinens, dein ad *Joh. Cuſpinianum* delatus, ut ejus Μονογραμμα literis C M P id eſt, *Cuſpinianus Medicus Poeta*, conſtans, et a *Conradi Celtis Protucii Poetae* Siglis C C P P ſibi obverſis probe diſtinguendum in aditu teſtatur, demum, ut triplici teſtimonio firmatum eſt, *Joh. Fabri* Ep. *Vien.* ab eoque ſuo ad D. *Nicolaum* Collegio legatus anno 1540. continet D. *Baſilii* Ep. *Caeſareenſ. Homilias in* Εξαημε-